

Horas astronomicas à meridie cœptas, in horas ab ortu uel occasu,
uel à mediâ nocte initiū sumentes, conuertere. Can. XVIII.

INephemeridibus, omnis horarum computus ad meridiem refertur, cum autem plerisque gentibus mos sit, ab occasu Solis, alijs ab ortu numerare horas, alijs autem secundum horologium dimidiū, à mediâ nocte, facilis est, præsentē utilitate obseruata, earum ad astronomicas horas reductio. Nam si horas ab occasu coæquare uoles astronomicis, subtrahere tempus semidiurnum, per propositionem præcedentē repertum, ab horis propositis à meridie, & residuum ostendet horas ab occasu. Ad ortum uero computando coequationem inuenies, si tempus seminocturnum ex eisdem subtraxeris, 12. superadiectis horis. Si autem à mediâ nocte computatæ fuerint, secundum horologium dimidium, subtrahantur 12. ex horis propositis, & residuum horam à mediâ nocte ostendet. Constat autem horas dimidiij horologij à meridie, cum astronomicis usque ad 12. horam noctis concordare.

Figurâ cœli ad quoduis momentū artificialiter constituere. Can. XIX.

Primum omnium duo pro huius canonis executione animaduertenda sunt. Locus scilicet uerus Solis, & tempus uerum & æquatum, pro quo figuram cœli erigere intendis. Ad meridiem igitur si figurâ cœli erigere uolueris, uero Solis loco pro eadem meridie ex ephemeride accepto, Tabulam domorum tuæ habitationi seruientem intra signum Solis in capite tabulæ quærendo, gradum autē Solis in linea deorsum, sub titulo 10. id est, decimę domus, & habebis in linea transfuersali uersus dextram, è regione gradus Solis, sex domorum cœli initia, scilicet decimæ, undecimæ, duodecimæ, primę, secundæ, & tertiæ. Reliquarum autem sex domorum initia, per conformes gradus oppositorum signorum inuenias. Quòd si ad aliud tempus postmeridianum quodcunque figuram cœli erigere uelis, accipe ut prius ex ephemeride uerum locum Solis pro meridie, cum quo uero Solis loco tabulam domorum tuæ habitationis ingredi ut prius, & è regione gradus Solis ad leuam, tempus in horis & minutis repertū, extra scribe: huic tempori adde etiam, pro quibuslibet 15. minutis circa gradum Solis repertis minutis, temporis minutum unum ferè pro parte proportionali duorum introituum, tempori etiam sic extra scripto, adde tempus tuum postmeridianū propositum, more astronomico, horas horis, minuta minutis, pro quibuslibet etiam sex horis à meridie elapsis, minutum unum horæ addendo, eo quòd una reuolutio primi mobilis perficitur in 24. horis, & 4. minutis. Et si plus quàm 60. excreuerint, pro ipsis 60. minutis deletis, horam scribes. Et si plus quàm 24. horę fuerint conflata, 24. horis deletis & abiectis, cum residuo in horis & minutis, si quid remanserit, iterum intrabis sub titulo tempus à meridie, tale tempus conflatum diligenter perquiras: nam è regione temporis tui, aut uicinioris inuenti, sex domorum initia, ad integros gradus, ut prius, inuenies. Reliquarum sex domorum initia per signa opposita patebunt. Huc adiecimus tabulam unam domorum cœli, pro unica duntaxat latitudine, siue eleuatione poli, scilicet $49\frac{1}{2}$ gradibus, qua tamen pro duabus proximis latitudinibus collateralibus, scilicet 48. & 50. & ultra gradibus sine erroris sensibilis uestigio uti poteris. Qui enim cæterarum latitudinum domorum tabulas desiderauerit, copiam earundem ex aliorum commentarijs accipiat. Canon enim iste generalis est, & ideo alijs etiam tabulis domorum inseruiens. Hæc igitur ad integros gradus duodecim domiciliorum constitutio, in rebus astronomicis incipientibus satisfaciet. Qui uero exactiorem ad gradus & minuta sex domorum initia calculum desiderauerit, consulat opus directionum M. Ioannis de Monte regio, ibi exactissime figura cœli ad gradus & minuta erigi potest.

B iij Tabula